

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola V. Gregorii Papae I. Ad Brvnichildem Reginam Francorvm. Laudat  
illam a recta filii educatione. Candidum presbyterum patrimonii, quod erat  
in Gallia, rectorem designatum commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA V.

## GREGORII PAPÆ I.

AD BRVNICHILDEM REGINAM FRANCORVM.

Laudat illam a recta filii educatione. Candidum  
presbyterum patrimonii, quod erat in Gallia,  
rectorem designatum commendat.

*Gregorius Brunichilde reginæ Francorum.*

**E**XCELLENTIAE vestræ prædicandam ac Deo placi-  
tam bonitatem , & gubernacula regni testantur , &  
educatio filii manifestat. Cui non solum incolumem re-  
rum temporalium gloriam prouida solicitudine conser-  
uasti, verum etiam æternæ vitæ præmia prouidisti, dum  
mentem ipsius in radice veræ fidei materna , vt decuit,  
& laudabili institutione plantasti. Vnde non immerito  
contigit , vt cuncta gentium regna præcelleret ; quippe  
qui earumdem gentium creatorem & pure colit , & vera-  
citer confitetur. Sed vt laudabilius in eo fides cum ope-  
ribus enitescat, adhortationis vestræ eum verba succen-  
dant, quatenus sicut sublimem illum inter homines poten-  
tia regalis ostendit, ita ante Deum magnum faciat pietas  
actionis. Quia vero multarum rerum experimenta nos  
admonent de excellentia vestræ Christianitate confide-  
re ; idcirco paterno salutantes affectu , quæsumus ut pro-  
pter amorem beati Petri apostolorum principis , quem  
toto vos scimus corde diligere , dilectissimum filium no-  
strum Candidum presbyterum præsentium portitorem,  
vna cum patrimoniolo , ad cuius eum gubernationem  
transmisimus , auxilii vestri patrocinio foueatis , quate-  
nus potestatis vestræ gratia roboratus , patrimoniolum  
ipsum , quod pauperum constat expensis proficere , & fa-  
lubriter regere , & si qua exinde ablata sunt , vestro ful-  
tus auxilio diligenter inquirere , & Deo propitio in pri-  
stimum possit reformare statum. Ad ipsius vero patrimo-  
nioli regimen proprius ecclesiæ homo transmissus est.  
Excellentia ergo vestra ita se libenter in his quæ posci-  
mus dignetur impendere , vt beatus Petrus apostolorum  
princeps , cui a Domino Iesu Christo ligandi ac soluen-  
di data est potestas , & hic excellentiam vestram in so-

*Concil. Tom. 13.*

Nnn ij

bole gaudere concedat, & post multorum annorum curricula a malis omnibus absolutam ante conspectum æterni faciat iudicis intueri.

## EPISTOLA VI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CHILDEBERTVM REGEM FRANCORVM.

Laudat in illo studium fidei catholicæ, Candidumque commendat, patrimonii rectorum, Dynamii patricii loco, designatum.

*Gregorius Childeberto regi Francorum.*

**Q**VANTO ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit. **E**sse autem regem, quia sunt & alii, non mirum est; sed esse catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magna lampadis splendor in terra noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. **Q**uidquid autem reges se ceteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis. **V**t ergo sicut fide, ita & actione vincantur, benignam se excellentia vestra suis subiectis semper exhibeat, & si qua sunt quæ eius animum offendere valent, ea indiscussa non sinat. Tunc enim vere regi regum, id est omnipotenti Domino amplius placebit, si potestatem suam restringens, minus sibi crediderit licere quam potest. **Q**uia igitur sinceritatem fidei & mente seruatis & opere, beati Petri apostolorum principis amor, qui in vobis est, euidenter ostendit; cuius res, Christianæ religionis intuitu, sub vestri culminis potestate bene haec tenus gubernatae & conseruatæ sunt. Sed quoniam Dynamius patricius, qui ex nostra commendatione rebus ipsis solicitudinem impendebat, eas modo gubernare, ut cognouimus, non potest; ne patrimonio lū ibidem constitutum faciente negligentia deperiret, idcirco præsentium portitorem dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum ad id gubernandum transmisimus. **Q**uem excellentiæ vestræ, præ-